



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 130. Vt eum morti traderent. v. 1.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

**O** Iesu desideratissime, quid tibi animi erat cum diei huius matutinum crepusculum cerneres? Credo iisdem te affectibus & cogitatione utum, quibus S. Cæcilia virgo tua postea usa fuit, in animandis martyribus: & ego cū illa, & tecū simili affectu dico: *hac est dies desideratissima omnibus hominibus, hac est dies quā fecit Dominus, hac est dies qua Dominus afflictionem populi sui respexit, & fecit redemptionem.* Ergo hunc diem nostræ redemptionis deuote recolamus, cum omni gratiarum actione dicentes: Gloria tibi Domine, quod vixerimus & viderimus hunc diem redemptionis nostræ: diem propitiationis, quem patris nostri videre capiebant & non viderunt, nec valuerunt. O magna gratia Dei nostri, erga nos miseros peccatores.

§. 129. *Consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & seniores populi aduersus Iesum. v. 1.*

Heri instituerant consilium postquam ab Anna fuisset missus ad Caiapham de nocte, nunc iterum mane conueniunt omnes Principes Sacerdotum & seniores populi ad consilium ne forte censeretur minus legitimum quod de nocte habuerant, & absentibus quibusdam, ne & obijceretur parum exacte & semel tantum pōderatum fuisse negotium Christi damnationis, imo vero & multo magis ut consultarent, quā viâ ratione & modo possent Iudici Romano & gentili eum tradere, ut morte turpissima damnaretur, quali ipsi damnare nequebant. Quam verò totum id callide, quam vafre actum?

**O** mi Iesu, quam vigiles, prompti & veloces sumus ad faciendum malum! obsecro te per hoc consilium iniquum, ne vnquam conueniam aut velim nocere proximo quouis modo, sed studeam omni tempore honestati, iustitiæ, æquitati circa omnes, idque propter amorem tui solius, ne aduersum te quid agam ne in partes trahar malignantium, vel specie boni pulchrè illudentium incautis. sed simpliciter, uti iussisti proximum diligere, sicut seipsum, sic præceptis tuis satisfaciam non credens omni spiritui, etsi sanctus videatur. Regat me sancta sedes Apostolica Romana, & quantæ vis aliæ succedant phantasiæ Humanæ.

§. 130. *Vt cum morti traderent. v. 1.*

Ecce finis consilij Principum & conuentus, adeo matutini. erat quidem conceptus pridem in mentibus eorum, à tempore scilicet, quo cepit Iesus docere & prædicare, Noui Testamenti Euangelium, & increpare vitia Sacerdotum & Principum Iudæorum, inde enim cœperunt cogitare, sed illo mane cœpit nasci malus fœtus cordis, putantes per mortem extinguerè



guere eius doctrinam, & fidem apud eos, qui crediderant in eum, quasi in filium Dei. Caiphas enim humanæ prudentiæ simulachrum erat, Christus diuinæ. Christus cum sibi pro fine proposuisset patris voluntatem perficiendam & gloriam propagandam, ad eum finem omnia direxit in primis se ipsum, Caiphas autem & omne Concilium tum propriam dignitatem tum amicorum, æstimationem quæ sapientiæ, & opes & commoda secularia pro fine proposita habebant, & collimantes omnia illuc destinabant & dirigebant. Cum igitur Christi Domini sapientiæ opinio, & seueritas doctrinæ, non minimum eorum dignitatem atque æstimationem læderent, statuerunt eum de medio tollere, ad eum finem nec mendacijs, nec periurijs, nec calumnijs, nec sacrilegijs ullis pepercere, & populum & Principes & Pilatum & Herodem eo pertrahere conatisunt, & Deum ipsum si potuissent.

**E**X tam diuerso fine, diuersus etiam agendi modus obertus est, nam qui Deum pro fine habet, quem finem naturaliter omnia creata spectant, non cogitur vim rebus inferre, non eget dolis, non fraudibus, non violentia, non denique ulla legum transgressione aut ordinis semel positi perturbatione, sed velut secundo flumine se à diuina prouidentia per causas secundas, quas Deus moderatur ac dirigit, ferri sinit: at contra qui aliud spectat & intendit, quam Deum, Dei que voluntatem, opus habet infinitis machinis & technis ad se suaque commoda facta tecta conseruanda. Et hinc est quod illi tota vita securi & læti uiuant sine ulla grauiore sollicitudine, & ne inopinatos quidem casus pertimescant, quippe qui sciunt omnia à Deo ad salutem electorum, ex quibus se esse utcumque morali certitudine confidunt, ordinari: at qui contraria Principia sequuntur, ij pauidam semper fugacem, suspiciosam, sollicitam, & inquietam vitam agunt, & ne in suamet simulatione deprehendantur expauescunt.

O Iesu, mi Iesu, desidero quidem sub cælo nihil nisi te, tuamque implere voluntatem omni tempore, ut mihi bene sit, in tempore tribulationis & iudicij, cum omnia ad amissum scrutabuntur & præmiabuntur, minus vero volo ob commodum aliquod meum machinari malum proximo meo. sed angustior dum cogito quam ægri homo possit vitare falsos fratres, per speciem boni illa, queate parantes, ad eum ut ipsi, sepe propter affectus suos cæci non videant quod laqueos tendendo laqueos circumferant dolosos. Esto igitur Dux noster, esto narchus consiliorum nostrorum.

S. 131. Et uinctum adduxerunt eum. v. 2.

At quonam? Ad Concilium mane congregatum sub specie æquitatis, utilitatis publicæ, Dei gloriæ, sed plenum fraudibus liuoris & odij in aper-  
tum